



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

XCIV. Stephanvs III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

tur. Si autem hi, qui conuicti sunt admoniti declinauerint, & ab adulterio fuerint diuisi, pœnitentiæ submittantur, vt sacerdos loci prouiderit. **ITEM** de presbyteris, diaconis seu clericis, qui inter se causam habuerint, nullo modo præsumat publicis auctoritatibus interpellationem facere, nisi suo Episcopo: & si forsan Episcopus causam habuerit ad vicinum Episcopum cõfugiũ faciant iuxta canonũ statuta. Et si minimè conuenerit, vt decidatur inter eos cõtētio, ad Apostolicam veniant sedem. Si quis verò præter statuta præsumpserit agere, gradus sui honore priuetur, & ab Ecclesia pellatur, vsq; dum causa susceperit finem. **ITEM**, vt Episcopus, aut presbyter, dum ingressus fuerit ad Missarum sollemnia celebranda, nullo modo audeat data oratione recedere, vt ab alio Episcopo, aut presbytero Missarũ sollemnia suppleantur, sed qui initium posuit, supplicat vsq; in finem. Si quis aliter agere præsumpserit, à Dominico corpore & sanguine sit suspensus. Prædictus Papa vniuersis Episcopis, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusq; **DEVM** timentibus per Gallias & Francorum prouincias constitutis epistolam destinavit, in qua omnes commonuit, vt falsos, & schismaticos, homicidas & fornicarios sacerdotes ab ipsis expellerent.

XCIV.

STEPHANVS III.

A. DCCLII.

STEPHANVS, natione Romanus, ex patre Constantino, sedit annos 5. dies 23. Post obitum Zachariæ Papæ **STEPHANVS STEPH. II.** quidam presbyter à cuncto populo electus est, & in patriarchium inthronizatus. Qui post biduum subito alienatus obmutuit, & die sequenti defunctus est. Post hæc verò omnes vnanimiter hunc eligentes in patriarchium iuxta morem introduxerunt: erat enim amator Ecclesiarum, traditionem Ecclesiasticam firma stabilitate conseruans. Huius temporibus Aistulphus Langobardorum rex occupatis bonis Ecclesiæ multa Romanis intulit mala, sed plurima minatus est. Vnde prædictus Papa coactus Pippinum regem Franciæ postulatum auxilium adiit, contra quem venit Karlomannus frater regis quamuis monachus, malignis tamen Aistulphi suasionibus deceptus, vt eius petitionẽ in irritum duceret. Sed Deo id agente propositi inefficax exstitit, & ibi idem in Francia in monasterio à fratre statutus vitam finiuit. Pontifex verò apud regem voluntatem suæ petitionis obtinuit. Hic ordinauit Episcops 15. presbyteros 2. diaconos 2. Defunctus est autem 6. Calend. Maii.

N 2

Prædi-